Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26825
Copyright: Admont, Benediktinerstift

his verbis auditoribus suadere cepisset, abripi iubetur in carcerem, ibique quasi absque tumultu populi necari. Vita sancti Copretis est.

ERAT quidam presbyter Copres nomine in heremo habens monasterium, vir sanctus annorum circiter octoginta. Et ipse multas virtutes faciens, languores curans et efficiens sanitates, sed et demones fugans, et multa mirabilia faciens, ex quibus non nulla etiam in nostri presentia effecit. Is quoque cum nos vidisset et osculo salutasset, atque ex more post orationem etiam pedes lavisset, requirebat a nobis que gererentur in seculo. Nos autem rogabamus eum ut magis ipse nobis de suis gestis aliqua narraret, ex quibus actibus vel meritis dominus ei tantam gratiam contulisset exponeret. At ille nichil dedignatus et sue vite et priorum sanctorum patrum narrare nobis ordinem cepit. Quos tamen longe illustriores fuisse perhibebat, seque ipsorum parva vix exempla sectari dicebat. Ergo nichil magni est o filioli quod in nobis videtis ad comparationem sanctorum patrum. Erat enim quidam ante nos vir nobilissimus nomine Mucius. Hic fuit primus in hoc loco monachus, et in omni hac heremo viam salutis omnibus nobis primus ostendit. Hic autem primo gentilis fuit, latronum maximus et sepulchrorum violator atque in omnibus flagitiis opinatissimus. Ad quem tali ex modo occasio salutis advenit. Nocte quadam ad domum cuiusdam virginis deo consecrate expoliandi causa pretexit. Cumque machinis quibusdam que huiusmodi artificibus satis nota sunt domus eius tecta conscendisset, querens qua arte vel quo aditu impenetrabilia eius irrumperet, difficultate perpetrandi operis innexus plurimum noctis tempus in tectis positus sine ullo transegit effectu. Post multos vero animi conatus frustra adhibitos, veluti fessus somno opprimitur. Et per visum sibi assistere videt quendam regio habitu dicentem: Desine iam ab his flagitiis, et ab effusione humani sanguinis cessa, atque ab execrabilibus furtis ad laborem religiosum converte vigilias, et suscipe celestem angelicam miliciam, atque ex hoc iam animi virtutibus vive, et ego te huius milicie ducem ac principem faciam. At ille cum gratanter que sibi offerebantur audisset, ostenditur ei exercitus monachorum, et principatum super eos iubetur tenere. In his evigilans vidit astantem virginem, et requirentem quis aut unde vel cur illuc venisset. At ille quasi amens effectus nichil sibi respondit, sed tantum ut ecclesiam sibi ostenderet rogat. Illa vero cum intellexisset intra esse aliquid operis divini, hominem perducit ad ecclesiam, ac presbyteris offert. Ad quorum ille vestigia pruens rogabat se christianum fieri, et ilico sibi penitentiam dari. Presbyteri vero cum cognovissent virum hunc esse omnium flagitiorum, mirantur si hec vere loqueretur. Et cum perseverantiam sui fide rei fecisset, et monent eum ut si hec vellet, illa penitus omitteret.

Dehinc cum religionis initia suscepisset, orat sibi dari precepta quibus viam salutis deberet incedere. At illi tres psalmi ei primi versiculos tradunt. Quibus ille diligenter consideratis sufficere ait eos ad viam salutis et scientie pietatis. Tribusque diebus permanens apud eos, ad heremum proficiscitur. Ubi plurimo tempore demoratur, et die ac nocte in oratione cum lacrimis perdurans, cibum ex radicibus capiebat herbarum. Regressus autem ad ecclesiam tres versiculos psalmi quos a presbyteris perceperat, non solum verbis sed et rebus atque operibus reddidit. Presbyteri vero mirabantur quod subito conversus acerrimam statim iniecerit sibi abstinentiam, et instruentes eum plenius ex divinis scripturis, hortabantur secum demorari. At ille ne videretur esse inobediens, unam apud eos exigens ebdomadam, rursus ad heremum pergit, atque ibi per .VII. annos continuos in omni abstinentia degens, plenitudinem gratie consequebatur a domino, ita ut omnes pene scripturas memoriter teneret. Panem vero dominica tantum die sumebat, et hunc divinitus delatum. Nam cum oraret surgens ab oratione inveniebat panem positum, quem nemo hominum detulerat. Hunc vero cum gratiarum actione sumpsisset, sufficiebat ei usque ad alteram dominicam. Post multum autem temporis tamen egressus a deserto exemplo abstinentie sue quamplurimos ad imitationem sui invitavit. Inter quos accessit ad eum adolescens quidam, cupiens eius esse discipulus. Cui ille cum habitu monachorum, hoc est levitinam et cucullum ac melotem que est caprina pellis, inposuisset, docere eum de ceteris monachorum institutionibus cepit. Multa tamen cum sollicitudine curabat, sicubi quis christianorum fuisset defunctus, ut sepeliret eum. Quem cum vidisset adolescens ille discipulus suus summa cum diligentia mortuis indumenta aptantem, dicit ad eum: Velle ut et me mortuum ita indueres ac sepelires magister. At ille ait: Ita faciam fili, et tam copiose te induam, donec dicas sufficit. Post non multum vero temporis defunctus est adolescens, et predictus sermo completur. Cum enim ei plurima indumenta circumdedisset, ait ad eum coram omnibus: Sufficiunt tibi hec ad sepulturam filiole, an adhuc vis ut aliquid addam? Tunc defunctus vocem cunctis audientibus emisit, obvelata iam facie, vultuque contecto et dixit: Sufficit pater, implesti quod promiseras. Obstupuerunt autem qui presentes aderant, et admirati sunt valde super tam mirabili facto. At ille sepulto adolescente continuo ad heremum redit, summo studio iactantiam declinans.